

III.
NEOVIDENSIS

Nro 35. (*Neovidensis* Nro 58.)

Ex

Novissimis Mundi Regnis Colloquium
Politicum

Vita functorum

Europæeis transmissum.

Elysium -- Meum. -- Die Martis 31 Julii 1804. (Neov. 17 Julii.)

Alterius sic

Altera poscit opem res, & conjurat amice.
Horat.

Colloquentes:

Gallica, & Russica Umbra.

Gallica Umbra. Nuperrime, 7. hujus in Gallicis officiosis Novis vulgatus articulus Constantinopolitanus de 30. Maji, dilucide docet 1-mo) Russiam etiam nunc in eo elaborare, ut intentiones suas relate ad Europæam Turciam ad effectum adducat. 2-do) Galliæ hæc Russiæ consilia comperta esse, quapropter eidem incumbere, ut omnem moveat lapidem ad conservandum in Europa turcicum imperium. 3-io) Ex tali officiosa narratione luculente constare, cuinam talo insistat politica inter Galliam, & Russiam concordia.

Russica Umbra. Articulus iste in sensu hostilitatem redolente concinnatus est; profecto debet attentionem etiam apud alias Gentes Europæas excitare. Hæc res eo videtur tendere, ut eo citius amicitia inter nostram Aulam, & Galliam interrumpatur; & tunc Anglia triumphat.

Gallica. Utique, postquam Gallia declaravit, se ultra naturales Rheni limites nihil velle amplius occupare, Russiæ latissimus aperitur campus fines sui imperii proferendi. Nihil est, quod eam ab obsidenda Turcia, aut Persia posset remorari, immo occupatio Reipublicæ septem insularum pulcherrimam ei præbet occasionem Turcas & a fronte, & a tergo invadendi.

Russica. Quid putas? poterit Russiam ab his cœptis prohibere Gallia, quæ sive a Russia, sive a Turcia tam longe abest, eidemque nullibi contermina est?

Gallica. At inter illas interjacent adhuc aliæ potentes Gentes, quæ imminens sibi periculum pervident, & nulla ratione admittent, ut Russiæ dominatus quaquaversum extendatur.

Russica. Tibi ergo persuasum est, posse Galliam initis fœderibus a Turcia omne malum amoliri? Expendamus, quæso, paulisper, quomodo ejusmodi societates possent conciliari.

Gallica. Si aliquando rei cujuscumque audiendæ cupiditate tenebar, hæc superat omnes alias.

Russica. Russia potest cum Anglia societatem armorum sancire, quod vehementissime exoptant Angli. Illico contra Turciam nihil hostile tentabitur, quin potius pertrahetur in idem fœdus, nunc enim tota a Politico Russorum nutu dependet.

Gallica. Huic ego aliud oppono fœdus. Gallia cum suis amicis Hollandis, Hispanis, & Italis in apertam abibit societatem bellicam cum Borussia; hos suis copiis auxiliariis sustentabit; ingentem ex Prussia, & Gallis conflatum exercitum dimittet in Poloniam; conabiturque etiam Austriam in suas contra Russiam allicere partes, & —

Russica. Toto cœlo erras, hic enim Austria periculum incurreret ex duabus partibus, turcica videlicet, & russica impetum sustinendi, dum Prussia unius Russiæ vires contra se irritaret. Nam Austria utrique, Borussia autem tantum Russiæ finitima est. Hac de causa existimo Austriam nullas bellantium partes secuturam, uti quondam fecit Borussia. Omnino Austriæ, si media manserit, meritam gratiam memori mente persolvemus. Quam sit multis difficultatibus impedita res, bellum inferre Russiæ, copiose demonstrat ejus clima, & situs geographicus.

Gallica. Nequeo mente assequi, qui possit dici inter Russiam, & Turciam intercedere fœdus bellicum.

Russica. Ego vero adhuc minus possum conciliare, ut Austria, & Borussia ob solum

Turcarum commodum contra Russiam ad arma descenderet.

Gallica. Hoc tempore nulla res debet esse admirationi. Prudentia civilis partes etiam maxime dissimiles conjungit. Generatim autem in fœderibus æque ac neutralitatibus id unum spectatur, quod multas adfert utilitates.

Russica. Ego futura longe alio modo considero, atque nonnulli Politicorum. In continente duæ existunt potentissimæ Gentes, Russia, & Gallia, quas alii minus potentes Status a se invicem discriminant, hæ solæ possunt inter se de palma concertare. Utraque depugnat, non ut illico Provincias interjacentes suæ potestati subjiciat, sed ut politicum dominatum adipiscatur. In hunc finem Gallia meridionalem Europam: Hollandiam, Hispaniam, Helvetiam, Italiam, & magnam partem Germaniæ jam occupavit. Idem querit Russia obtinere in Septemtrionibus, ut inter has amplissimas Gentes politicum æquilibrium restitatur. Hactenus quidem Prusiam non potuit in sua votâ flectere, quia tamen adhæret Angliæ, implacabili Gallorum hosti, non leve habet pondus in politicis Europæ negotiis. Hinc illud putativum fœdus, & amicitia.

Gallica. Quemadmodum homo, ita etiam Politice committit nonnunquam actiones, quarum deinde poenitudine ducitur. Quis tradidit Rempublicam septem Insularum in tutelam Russiæ? Gallia. Quis Russiam evocavit, ut modificatæ constitutionis Germanicæ defensorem ageret? Gal-

lia. Quis itaque influxum Russiæ in Europam, promovit, & auxit? Dicamus, quod res est: Gallia. *Plura hac de re propediem.*

(*Continuatio Provincialium negotiorum in Electoratu Württembergico.*)

*Ad Suam Electoralem Serenitatem
Humillima declaratio Deputatorum ex majore Provinciali delectorum virorum Collegio, ad altissimam de 20. Junii signaturam, quæ Inquisitionem per Commissarios faciendam de administratione ærarii publici concernebat, d. d. 25. Junii 1804.*

S e r e n i s s i m e !

Ad altissimam Signaturam, qua Vestræ Electorali Serenitati 20. Junii visum est significare majori Provinciali delectorum virorum Collegio, ut pro facienda Inquisitione, de administratione ærarii publici Commissio ordinaretur, obsequentissimi subsignati sui esse officii duxerunt, tam de ipsa Inquisitione, quam etiam de ejus objectis humillimam facere declarationem.

Minori quidem Provinciali delectorum virorum collegio facta exprobratio de illegitime administratis pecuniis publicis eo majori fuit dolori, quo minus illud severissimam licet inquisitionem reformidat, acerbissime tamen sentit, non admittere Constitutionem, ut sive solum, sive in societate cum majore collegio altissimis Vestræ Electoralis Serenitatis intentionibus hac in re velificetur.

Absit ab obedientissimis subscriptis, ut supremam Electoralem potestatem inspecto-
riam in administrationem sumtuum publico-
rum quacunque ratione in quæstionem vocent,
multo minus infringant. Hoc jus est etiam in
pactione hæreditaria *ad Grav. VII. Cl. I.* clare
definitum. Tantummodo relate ad ejus exe-
cutionem magis perspicuæ illi accesserunt de-
terminationes tam a sanctione horum Comiti-
torum, quam etiam ab inveterata, & in hoc
genere pro norma expresse statuta consuetu-
dine, cum quibus annunciata inquisitio per
Commissarios instituenda non poterit com-
poni.

Nimirum Vestra Electoralis Serenitas ex
datis a Provincialibus Exactoribus rationibus,
quas minus collegium delectorum virorum in
præsentia ad id destinatorum Dominalium
Deputatorum ducit, ex præstitis ab his rela-
tionibus, & una proposito Summario Extractu
potest facili negotio eam sibi circa admini-
strationem ærarii publici minimarum etiam
rerum cognitionem comparare, per quam una
ex parte finis supremæ Inspectionis perfecte
obtinetur, ex altera vero parte conditionibus
Pactionis hæreditariæ *Cl. I. Grav. VII. §. 2.*
& 3. receptæ consuetudini, potissimum au-
tem ex natura Provincialium circumstantia-
rum promananti necessitati occultarum expen-
sarum satisfit.

Vestra Electoralis Serenitas summa sua
sapientia non potest non comprehendere, per
propositam nonnullorum ex majore delecto-



rum virorum collegio membrorum assumptionem jus, secundum quod omnis per Commissarios instituenda Inquisitio de Administratione ærarii consideranda venit, nulla ratione immutatum iri; non nisi ad decisionem universalis Provinciæ conventus pertinet ejusmodi Inquisitio. Majus collegium selectorum virorum, quod tantum in societate cum minore plena rerum agendarum potestate pollet, neque ex pactis, neque ex mandato Comitiorum ad similem functionem peragendam est jurisdictione præditum; quapropter obsequiosissime subsignati non judicant sibi esse integrum tali inquisitioni sociam navare operam, quin potius vi sui officii ad interponendas humillimas preces impelluntur: Dignetur Vestra Electoralis Serenitas loco extraordinariæ per Commissarios faciendæ inquisitionis de administratione ærarii respectu executioni dandæ supremæ potestatis inspectoriæ, quæ cum Constitutione conciliari nequit, clementissime indulgere, ut totum hoc negotium, secundum Conventa nationalia, pactionem hæreditariam *Cl. I. Grav. VII.* & perpetuum usum tractetur.

Si de cætero altissima Signatura accusat minus delectorum virorum collegium de illegitime erogatis publicis pecuniis, obedientissimos subscriptos ab omni culpa absolvit propriæ conscientiæ testimonium, quod licet illis contra immeritam objectionem summam præstet tranquillitatem, judicant tamen respectu duorum casuum nominatim expressorum vi-

delicet missionis Abelianæ, & procurati Principi Electori subsidii pecuniarii non esse præmittendas communes quasdam, excusationi inservituras animadversiones.

Paucioribus numero delectis viris constans Collegium suarum esse partium agnovit negotium missionis Abelianæ toti Provinciali congregationi ad deliberandum proponendum esse, quæ illud concordibus suffragiis decedit; Hanc Comitiorum sententiam, si res eadem iterum coram supremo tribunali ventilaretur, idem collegium non negliget Suxæ Cæsareæ Majstati in omni demissione substernere.

Quod subsidium Principi Electori emensum attinet, de eo communis Provinciæ conventus mentem suam jam satis explicuit. Interim obsequentissimi subsignati totum hoc & de facto, & de jure sufficienter declaratum negotium supremo Magistratui, si nucessum fuerit, minutatim exponere eo sunt paratiores, quo magis convicti, sibi non licere absque gravi violatione jurisjurandi, quo se in aditu officii obstrinxerunt, atque adeo sine contemptu ejus, quo nihil majus, sanctius, & veneratione dignius norunt, de hoc vel alio objecto sui officii coram Principis Commissione tractare.

His se altissimis favoribus, & gratiis humillime devovent, & in profundissima demissione perseverant. Stutgardiæ 25. Junii 1804.

Vestræ Electoralis Serenitatis

Humillimi, Fidelissimi, Obedientissimi

Deputati ex majore Provinciali
delectorum virorum Collegio.